

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS

185. — Virtus est habitus agendi honeste seu iuxta rectum ordinem. Virtutes variae speciei distinguuntur, scilicet.

1^o *Naturales* vel *supernaturales*, prout viribus naturalibus, vel supernaturalis gratiae auxilio acquiruntur et conservantur.

2^o *Infusae* vel *acquisitae*, prout a Deo ipso in cor infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur.

3^o *Theologicae* vel *morales*, prout Deum immediate respiciunt, vel pro obiecto immediato naturalem honestatem actionis habent. Inde facile deducitur, virtutes theologicas moralibus esse perfectiores.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas caeterae reducuntur, scilicet *prudencia*, *iustitia*, *fortitudo*, et *temperantia*. Cum de virtutibus moralibus in tota fere theologia morali sermo sit, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe de *Fide*, *Spe* et *Charitate*.

CAPUT I.

DE FIDE

186. — Fides in genere est assensus propter auctoritatem loquentis. Pressius ad rem nostram, Fides, in quantum est virtus, definitur: Habitus supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, propter auctoritatem Dei revelantis. In quantum vero est actus, dicitur assensus firmissimus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem praestitus. — S. Lig. n. 2.

Fides est 1^o *habitualis* vel *actualis*, prout est habitus vel actus.

2^o *Explicita* vel *implicita* ratione obiecti, prout hoc in se est expressum et evolutum, aut tantum in alio contentum. Sic v. gr. si dicas: Credo in SS. Trinitatem, elicits actum Fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas: Credo omnia quae docet Ecclesia esse credenda, elicits actum Fidei implicitum in singula dogmata revelata.

3^o *Formalis* vel *virtualis*, prout fides vel est actualiter elicit, vel in mente perseverans inadvertenter vi sua in actiones influit.

4^o *Formata* seu *viva*, vel *informis* seu *mortua*, prout coniungitur, vel non, cum operibus Charitatis.

Peccata Fidei opposita sunt 1^o infidelitas, seu carentia Fidei in hominibus non baptizatis, 2^o haeresis, seu error pertinax in baptizato contra veritatem Fidei ab Ecclesia propositam.

Infidelitas, sive haeresis, dicitur *negativa* seu *materialis* in eo, qui ignorantia invincibili laborat, seu cui vera Fides non fuit sufficienter proposita.

Agendum praecipue 1^o de necessitate, 2^o de obiecto Fidei.

ARTICULUS I. — DE NECESSITATE FIDEI.

I. Quoad actum internum.

187. — I. Actus internus Fidei omnibus adultis ad iustificationem necessarius est *necessitate medii*. Constat ex *Epist. ad Hebr.* 11. 6., ubi Apostolus dicit: *Sine Fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* — Et ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6.

II. Necessarius est etiam *necessitate praecepti* quandoque in vita. Constat ex Scriptura sacra. Dicitur enim in *Epist. 1. Ioann.* 3. 23: *Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi.* Item ex variis propositionibus damnatis ab Alexand. VIII et Innoc. XI.

188. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quandonam urgeat praeceptum Fidei eliciendae?*

Resp. 1^o Urget *per se* 1^o post usum rationis completum ad incipiendam vitam christianam; 2^o item quando infideli adulto Fidei nostrae veritas sufficienter proposita est; 3^o in articulo mortis, iuxta quosdam, ad proximius tendendum ad Deum; 4^o saepius in vita, iuxta plures saltem semel in anno, et iuxta nonnullos singulis mensibus. Caeterum sufficienter hoc praeceptum adimpletur exercendo alios actus Religionis. S. Lig. n. 7., *Hom. apost.* n. 13.

Resp. 2^o Urget *per accidens* 1^o urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequeat; 2^o quando adimplendum est praeceptum, quod Fidem requirit, v. gr. confessionis (1), 3^o post lapsum in haeresim, aut Fidem negatam. — *Ita omnes.*

(1) Intelligitur fides circa articulum, qui dirigit praecepti implementum, v. gr. circa praesentiam Christi in Eucharistia, si accedas ad Communionem, etc., et quidem non formalis actus exigitur, sed sufficit implicitus. Hinc prorsus abs re quidam

ab accedentibus ad sacramentum Poenitentiae exigunt actus virtutum theologalium, et quidem consuetam fidei formulam, in qua alioqui nihil est, quod ad istud sacramentum spectet.

QUAER. 2^o *An actus expliciti requirantur ad praeceptum Fidei adimplendum?*

Resp. In illis, qui veritates fide tenendas iam didicerunt et crediderunt generatim sufficiunt actus impliciti. Hinc praecepto satisfacit, qui devote audit Missam, adorat Crucifixum, orat, crucis signum format, Sacramenta recipit, etc. — *Ita communiter.* — S. Lig. *ibid.*

II. Quoad actum externum.

189. — I. Datur praeceptum negativum prohibens veram Fidem negare, falsamve profiteri. Negare enim Fidem est Deum ipsum negare. Hinc Christus *Matth.* 10. 33. ait: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.*

II. Datur etiam praeceptum affirmativum, obligans aliquando ad Fidem etiam cum vitae periculo confitendam. Christi enim honor aliquando exigit, ut fideles ad ipsum confitendum etiam vitam spernant. Constat ex verbis Christi ipsius, *Matth.* 10. 32: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in caelis est.* Et *Luc.* 9. 26: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua.* Item *Apost. Rom.* 10. 10: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

III. Praeceptum autem exterius Fidei confitendae iure naturali tunc obligat, quando secus honor Deo debitus, vel utilitas spiritualis proximi modo notabili subtraheretur: puta, si Deus afficeretur magna iniuria et proximus magno malo spirituali; vel si ex omissione confessionis sequeretur contemptus Religionis, scandalum, aliorum perversio; vel etiam si cessaret magnos honor in Deum, vel magna utilitas in proximum. Ratio est, quia id exigit charitas, quam Deo vel proximo debemus. — S. Thom. 2. 2. qu. 3. art. 1. — S. Lig. n. 11.

190. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An liceat quandoque dissimulare Fidem?*

Resp. 1^o Nunquam licet simulare falsam, quia perinde id esset, ac veram exterius negare, quod intrinsece malum est. — Aperte autem hoc constat ex verbis Christi modo relatis.

Resp. 2^o Licet ex gravi causa dissimulare seu occultare Fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget praeceptum Fidei confitendae. — S. Lig. n. 10. 12. — *Alii communiter.*

QUAER. 2^o *An interrogatus de Fide possit uti verbis ambiguis?*

Resp. 1^o *Neg.*, quando tergiversatio vel silentium aequivalet negationi, aut erubescenciae seu formidini, quae in iis adiunctis necessario honori Dei, vel utilitati proximi detrahunt. Tunc enim locum habent conditiones

in Princip. III expositae. Confirmantur id ex constanti Ecclesiae praxi, et communi Patrum doctrina. — Insuper quoad publicam potestatem interrogantem constat ex propositione damnata ab Innoc. XI. sub n. 18., quae eiusmodi est: *Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.* — S. Lig. n. 13.

Resp. 2^o *Affirm.*, quando nullum praesentibus creatur scandalum, ac nulla apparet Fidei negatio aut formido, aut erubescencia; quia tunc nulla adest obligatio Fidem confitendi. — S. Lig. *ibid.*

191. — **QUAER.** 3^o *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si sint vestes aut signa propria alicuius regionis, licet regio haec tota sit infidelis; quia haec ad Religionem *per se* non referuntur.

Resp. 2^o Si vero sint vestes et signa *Religionis*, subdistinguendum est; *probabilius* adhuc *affirmo*, si fiat gravi de causa, et vestes non sint tantum distinctivae sectae a secta, quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam. — Secus autem, si vestes aut signa sint unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta, quibus Sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur. — Salm., *Tract.* 21. c. 2. n. 1. 10.

192. **Resolves.** — 1^o Graviter quis peccat contra Fidem, etsi externe tantum genua flectat coram idolo, aliave signa Religionis falsae exhibeat, v. gr. frequentando Coenam haereticam, etc.

2^o Non peccat contra Fidem, qui templa haereticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat, seclusis tamen scandalo, perversionis periculo, aut lege haec interdiciente. — Item qui interest convivio nuptiali aut sepulturae haereticorum; quia haec proprie ad Fidem non spectant, et ut conventus mere civiles habentur. — S. Lig. n. 16.

Secus autem dicendum, si adsistas Baptismo et Coenae acatholicorum; quia haec ad caeremoniam religiosam pertinent. Constat id etiam Litteris Pii VI, in quibus declaratur baptismo ab intrusis collato adsistere illicitum propter cooperationem esse.

3^o Non peccat contra Fidem, qui per loca haereticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die abstinentiae, ne catholicis agnoscat, quia hoc per se non est signum haereseos; secus autem, si carnes manducaret, etiam metu mortis ad id in odium Fidei impulsus.

4^o Nec peccat contra Fidem, qui fugit tempore persecutionis; imo generatim fuga est aliquo modo praecepta, ut patet ex verbis Christi, *Matth.* 10. 23: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc vero praesertim valet, si cuiuspiam salus ad utilitatem

fideliū sit necessaria, aut quispiam lapsum timeat. — V. *Casus*, n. 192. et seq. (2).

(2) Quaesitum est, an liceat catholicis aedificare templa haereticorum s. I. C. 14. Ian. 1818. respondit: « Non esse inquietandos, dummodo non adsit scandalum nec fiat in contemptum Religionis... Teneri autem ab opere se abstinere, 1^o ubi huiusmodi opus communiter habetur *pro signo protestativo* falsae religionis: 2^o vel aliquid in ipso continetur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus et approbationem damnati cultus haereticorum: 3^o aut constat artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. Ceterum, quamvis extra hos casus relinquendi sint in bona fide; semper tamen monendi sunt, ne haereticorum cultui cooperari intendant ».

Adverte, quomodo enuntietur, quod tertio loco dicitur: *constare* scilicet debet, h. e. res esse certa et, ut puto, publice nota, catholicos adigi vel vocari ab haereticis in contemptum religionis: si coniciatur tantum, si tantum probabile sit, si uni vel alteri notum, licet artifice catholico ab hac consideratione praescindere et opus aggredi ex honesto fine.

Quaesitum est, an liceat pecuniam contribuere pro aedificando templo haeretico. Respondit s. Poenit. ann. 1822. « Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa ac scandalosa cum Protestantibus simultaneitate liberandum ». Malitia huius collationis pecuniae pendet a fine vel effectu qui consequitur: quae malitia purgari potest, si eadem collatio referatur ad bonum finem, ad quem in certis adiunctis ipsa est necessaria. Ex ipsa collatione pecuniae iam libertas consequitur: habes ergo actionem, cuius duplex est finis immediatus.

Propositum fuit s. C. P. F. esse « Christianitates, quae iam a Mandarino coactae sunt, fanum publicum idolis erigere. Porro

stante crudelissimo tyranno, qui hoc miserimum regnum gubernat, difficillimum erit haec fana publica destruere... Quaero, an, attentis supra memoratis, Christianitates, quae fana istiusmodi erexerunt, censi vere possint a superstitionibus immunes, modo nullos superstitionis actus in istis fanis peregerint ». Respondit s. C. 10. Aug. 1841, c. dilata et exquiratur a Vicario Apost. utrum fani erectio habeatur *uti factum protestativum* »

Accepto deinde responso affirmativo, rescripsit eadem s. C. 8. Ian. 1851. « Non licere Christianis templa idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari. Et detur decretum pro Iaponia 7. Dec. 1626. videlicet. *Non possunt Iapones fideles, ut periculum mortis vel exilii evitent, altaria vel idola fabricare aut eorum fabricae cooperari* ». Scilicet cum rationem habent *facti protestativi* in favorem falsi cultus. Cf. Gallo *Suppetiae* etc. V. 1. p. 253. seq.

Cum alias Christianifideles cogentur gravibus poenis in locis Missionum contribuere pecuniam ad actus superstitionis et publicae laetitiae s. C. P. F. interrogata, an id liceat, respondit: « Posse christianos Sinenses pecuniam contribuere, dummodo per huiusmodi contributiones non intendant ad actus idololatrias et superstitionis concurrere, supposita causa, quae narratur in dubio: praemissa praesertim, si commode fieri potest, protestatione, quod imposita tributa praestant in ordine tantum ad laetitiam populi et ad actus indifferentes vel saltem cultui Religionis christianae non repugnantes ». 12. Septembris 1645.

De eadem re C. S. O. 27. Apr. 1847. rescripsit: « Christiani praemittant protestationem, se solvere pecuniam taxative tanquam mere tributum, dummodo non adsistant ritibus superstitionis et si a ne-

ARTICULUS II. — DE OBIECTO FIDEI.

193. — Obiectum *formale* Fidei, seu ratio propter quam creditur, est auctoritas Dei loquentis, utpote infinita tum sapientia tum veracitate praediti. — *Ita communius.*

mine reclametur contra, non esse inquietandos ».

Cf. *Collectanea ad usum Operr.* Paris nn. 1074. 1104. etc.

Porro s. C. P. F. hanc regulam statuit: « Relate ad cooperationem ad ritus superstitionis haec regula tenenda est. Si cooperatio fuerit pars ritus superstitionis, tunc formalis censenda erit, intrinsece mala et nunquam fieri poterit. E contra censenda erit materialis, si pars non fuerit ritus superstitionis. Grave autem aliquid damnnum, quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatione abstinere voluerit, licitam eam faciet, etsi scandalum adfuerit, quod pusillorum dicitur a theologis; quia ex lege charitatis nemo tenetur cum gravi suo damno scandalum istud removere » 17. Jul. 1827. ibidem n. 1093.

Tandem eadem C. P. F. interrogata de servis Turcarum extruentibus ex iussu dominorum et exornantibus Moschaeas, respondit 31. Aug. 1780. « Relinquendos esse in bona fide, dummodo actiones... fiant sine contemptu Religionis et sine intentione cooperandi superstitioni ». Apud Gallo *Op. cit.* V. 1. p. 258. Ergo res non est intrinsece mala nec pars ritus superstitionis.

Quaeres, an liceat disputare cum haereticis? Disputatio ea intelligitur, quae ultro citroque prolatis argumentis et responsis inquit ad manifestandam et tuendam fidem vel aliquam fidei veritatem. Per se res licita est, si par quis sit disputando et fructus probabilis speretur. Verum primo ea vetita est laicis c. 2. *De Haereticis* §. 1. in 6. « Inhibemus, ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare ». Necessitas tamen vel magna utilitas, sup-

posita debita scientia, rem licitam facit (Suarez *De Fide* disp. 20. sect. 1. n. 11.).

Nihilominus secundo sacrae Congregationes praescripserunt non semel, « publicas disputationes non fieri cum haereticis; quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate praevalente, opprimitur. Et si aliquando huiusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat s. C. (utique si fieri potest), quae iuxta temporis et personarum qualitatem, quid agendum sit praescribet ». s. C. P. F. 8. Mart. 1625. C. s. O. 19. Jan. 1644. s. C. C. 8. Martii 1625.

Accipe decretum editum Romae italico sermone a Card. Vicario, ex iussu SS. Pontificis 12. Jul. 1878. Scilicet « vetitum magnopere est, ne quis ex mera curiositate prudens ingrediatur aulas et templa Protestantium tum cum conciones habentur, atque peccant, graviter quoque, ii omnes qui ex mera curiositate audiunt conciones Protestantium et assistunt vei materialiter ceremoniis acatholicis, omnesque pariter musicae cultores, qui vel sola lucri causa in templis Protestantium eandem exercent vel voce vel instrumentis. Pariter graviter peccant typographi, etiam secundarii ministri, qui ne a superioribus eiiciantur, litteras colligunt ad excludendos haereticorum libros: quin imo si de haereticorum libris agatur, qui haeresim docent et tuentur, etiam ministri typographi secundarii maiorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontificii reservatam. Neque a peccato mortali eximuntur architecti, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam atque laborant ad extruendum aliquod Prote-

Obiectum vero *materialis*, de quo hic tantum agitur, constat ex rebus cognoscendis et credendis. Hinc agendum de sciendis et credendis tum necessitate medii, tum necessitate praecepti.

§. I. De necessario sciendis et credendis necessitate medii.

194. — Certum est, duo scienda et credenda esse necessitate medii: 1^o quod Deus sit: *Oportet accedentem ad Deum credere quia est* Hebr. 11. 2^o Quod sit remuneratur: *Oportet... credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ibid. — An vero alia sint credenda explicite de necessitate medii ad salutem, controvertitur: hinc de iis.

195. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An requiratur Fides explicite mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis de necessitate medii?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I^a SENTENTIA omnino affirmat. Ratio est

1^o *Quoad Incarnationem*, quia non datur salus nisi per Christum; medium ergo illud necessario *explicite* cognoscendum et credendum est.

2^o *Quoad SS. Trinitatem*, quia Fides huius mysterii est fundamentum salutis nostrae; nam Baptismus, qui est Sacramentum Fidei conferri debet *in nomine Patris*, etc... Porro quod est salutis fundamentum, debet esse obiectum primum Fidei, et proinde *secundum se et explicite* credendum. — Ita Collet, *Decal.* c. 1. art. 1. — Antoine, c. 1. — Hanc sententiam probabilior dicit S. Lig. n. 2. (1).

II^a SENTENTIA, quae videtur probabilior, negat. Ratio est, quia ante Christum sufficiebat Fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post eius adventum sufficere debet. Christus enim media non mutavit (*). — Ita Suarez, disp. 12. sect. 4. — Lugo, *De Fid.* disp. 12. n. 91 (2). Neque obstat propositio damnata ab Innoc. XI, sub. n. 64., quae sic se habet:

stantium templum. Quoad structores aliosve operarios inferiores, a peccato immunes erunt, dummodo in eorum actione absit scandalum neque opus fiat in Religionis catholicae contemptum ».

(1) S. Alphonsus non absolute probabilior appellat hanc sententiam, sed dicit, *videri probabilior.*

(*) Hoc sane probandum foret; nam de hoc tandem est quaestio. Praeterea nonne pro infantibus mutatum est medium? quomodo ergo absolute dicitur Christus non mutasse media?

(2) Card. De Lugo (l. c.) hanc sententiam vocat *probabilior, communem doctorum recentiorum, et, ut videtur,*

etiam S. Thomae p. 3. q. 69. art. 4. ad 2. En tamen responsum Congr. S. Officii 28. Febr. 1703., in quo dicitur, *Missionarium teneri, adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.*

Resp. Notetur illud *Praecipue*: subinfertur enim, alia ergo esse mysteria fidei *necessaria necessitate medii*, quae tamen necesse non est illi moribundo proponere. Ergo latiori quodam sensu *necessaria necessitate medii* hic dicuntur mysteria fidei.

Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. I. C.; non obstat, inquam; merito enim damnari potuit ratione primae partis, in qua asseritur absolutionis capax homo, quantumvis generatim laboret ignorantia mysteriorum Fidei.

QUAER. 2^o *An possit absolvi qui ea ignorat, quae sunt certa de necessitate medii?*

Resp. Neg. Nec licite, nec valide. Ita omnes. Ratio est, quia ille ob defectum medii simpliciter necessarii incapax est iustificationis; ergo etiam incapax est absolutionis. Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum remuneratorem credat.

196. — **QUAER.** 3^o *An possit absolvi ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis?*

Resp. 1^o Non potest *licite* extra casum necessitatis, v. gr. periculum mortis; ratio, quia Confessarius hunc absolvens Sacramentum periculo nullitatis exponit, ut patet ex Quaest. 1^a praec. — Hinc Confessarius debet poenitentem vel prius instruere (3), vel dimittere, donec sufficienter sit instructus. — S. Lig. n. 3.

Resp. 2^o *Probabilius* potest absolvi *valide*, si versatur in ignorantia invincibili. Ratio deducitur ex dictis in II^a Sententia *Quaesiti primi* (4).

§. II. De necessario sciendis et credendis necessitate praecepti.

Haec sunt Symbolum Apostolorum, Decalogus, Praecepta Ecclesiae, Sacramenta, Oratio Dominica. — Symbolum requiritur ad recte credendum; caetera ad recte agendum.

(3) Ab absolvendum poenitentem satis esset, ut hic, Confessario ea mysteria proponente, eliciat actum fidei, licet illa addiscere hic et nunc non possit. S. Alphonsus (*In Praex. Confess.*) refert haec verba B. Leonardi: *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est, breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis, obligando tamen eos, ut in posterum perfecte instrui se faciant circa caetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti.*

(4) Advertit S. Alphonsus (lib. 2. n. 2.) post Tannerum, quod etiamsi teneas, explicitam horum mysteriorum fidem nunc

necessariam esse necessitate medii, tamen si qui sint adeo rudi intellectu, ut ea mysteria sub propria aliqua notione concipere nullo modo possint, hi quoad hoc comparandi sint cum infantibus et fatuis. Et sane si fuerint iam baptizati, et non instruantur, num dicemus, gratiam sanctificantem ab ipsis avolare ideo quia non faciunt id, quod facere non possunt?

Caeterum si probabilius est, ignorantes haec mysteria valide absolvi, non sunt igitur necessario repetendae confessiones praecedentes, in eo ignorantiae statu peractae. *Sedulo advertendum* (inquit S. Alphonsus lib. 6. n. 505.) *non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet, eas fuisse invalidas.* Porro non possunt dici *moraliter certo invalidae* confessiones, quae probabilius sunt validae.